

quæ alioquin invalida foret. Suarez, lib. VI. *de Legib.*, cap. XIV, n. 10; Barbosa, et Pirrhing, ubi supra, et alii. Atque hi tres sunt principales illi casus, in quibus episcopi justis de causis possunt dispensare quoad sacros canones: dantur tamen adhuc alii minus principales, et commode reducibiles ad hosce tres casus, in quibus itidem dispensare possunt: unde

472. IV. *In casibus frequenter occurrentibus.*

— Quarto possunt dispensare episcopi in casibus frequenter occurrentibus, v. g. in jejuniis ab Ecclesia indictis, in votis Papæ specialiter non reservatis, ac hujusmodi. Ita Navarrus, cap. XXI *Manualis*, n. 21, citans divum Thomam, in 4, dist. 11, q. 3, art. 2; Suarez, loc. cit. n. 9; Diana, part. VIII, tract. III, res. 12; Castro Palao, dict. punct. 5, num. 5, et alii. Ratio est, quia licet istud jure expresso probari nequeat, satis tamen ex tacita, et rationabiliter præsumpta Papæ licentia suadet; cum verisimile non sit Pontificem velle, ut in necessitatibus quotidianis, seu casibus adeo frequenter occurrentibus, semper ad ipsum, utpote gravioribus negotiis, distentum, fiat recursus. Accedit, quod in talibus sæpe non possit tam cito Sedes apostolica consuli, prout postulat præsens rerum qualitas: simulque alioquin gubernatio inferiorum prælatorum nimis redderetur odiosa, si potestate sua ordinaria non possent consulere necessitatibus quotidie propemodum occurrentibus. Id ipsum convincit recepta hactenus consuetudo, quæ, si præmissa non sufficerent, dare potest episcopis jurisdictionem dispensandi circa frequenter occurrentes casus.

473. V. *Si materia sit levis.*—Quinto dispensant episcopi, si materia legis sit levis: tunc enim summus Pontifex præsumitur eisdem concedere potestatem dispensandi; sicut in simili ob levem percussorem clericum absolvit episcopus ab excommunicatione cæteroquin summo Pontifici reservata, ut in cap. *Pervenit*. 17. *de Sentent. excom.* Foret quippe nimis onerosum, in minimis recurrere ad Papam, sive legislatorem; estque notum, quod in moralibus parum pro nihilo reputetur, l. *Scio*. ff. *de Restit. in integr.* cum concordantiis ibi a Glossa. vers. *Summam*, relatis. Sua. ez, lib. VI, *de Legib.* c. 14, n. 9; Savers. *Dispensatio*. n. 9; Cajetanus, Bonacina, et alii.

474. VI. *Quoties dubium est, an casus indigeat dispensatione.*—Sexto potest episcopus di-

spensare, quoties dubium est, an casus indigeat dispensatione, arg. c. *Cum desideres*. §. *Secundo. de Sent. excomm.* Nam stante dubio, an res indigeat dispensatione, vel potest episcopus pensatis pensandis declarare, eam non requiri, vel ad cautelam dispensare. Sanchez, lib. I. in *Decalog.*, cap. x, n. 74 et cap. XL, n. 26; Layman, lib. I, tract. IV, cap. XXII, n. 4; Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episcop.*, allegat. 35, n. 18; Sa, cit. n. 4; Diana, part. III, tract. VI, resol. 82, et alii. Accedit ratio, quia reservatio dispensationis est odiosa, utpote coarctans potestatem ordinariam episcopi; ergo est restringenda ad casus certos.

475. *Potestas dispensandi in dictis casibus concessa episcopis, est ordinaria.*—Resp. II. Potestas dispensandi in prædictis casibus concessa episcopis, est ordinaria, ac proinde Sede vacante etiam competit capitulo. Prior pars traditur a Castro Palao, part. I, tract. III, disp. 6, punct. 5, n. 12, ac in re est communis. Siquidem dicta potestas competit episcopis ratione sui muneris, seu officii pastoralis, estque perpetua: atqui talia concludunt jurisdictionem ordinariam, cap. ult. juncta Glossa fin. *de Offic. judic. ordin.* et l. *More* et l. *Eo quia*. ff. *de Jurisact. omn. judic.* atque docet Covarruvias, lib. III. *Var. resol.* cap. XX, num. 6, post Abbat., Card. et Felin. in c. *Licet*, *de Offic. judic. ordin.* et alios.

476. *Ac proin Sede vacante competit capitulo.*—Altera pars patet ex eo, quia capitulum Sede vacante potest ea omnia exercere, quæ pertinent jure communi ad ordinariam episcopi jurisdictionem, exceptis dumtaxat illis, quæ speciatim jure sunt prohibita, c. *Cum olim*. juncta Glossa vers. *Capitulo de majorit. et obed.* ac tenent communiter doctores, quos copiose citat Barbosa, d. part. II, allegat. 36, n. 9 et 10. inde cum aliis inferens, quod capitulum Sede vacante possit dispensare in iis, in quibus episcopus ratione episcopalis jurisdictionis valet dispensare; quamvis in delegata jurisdictione non succedat. Verum de hoc alibi, nempe in tit. « Ut Sede vacante, etc. »

477. *Casus specifici, in quibus ex concessione juris communis possunt episcopi dispensare, sunt multi.*—Resp. III. Quinam sint illi specifici casus, in quibus ex concessione juris communis potest episcopus dispensare, longum foret disserere. Si placet, poterit videri Speculator, lib. I. §. *de Dispensat.* ubi ultra

centum sexaginta casus in jure scriptos enumerat, in quibus a jure permittitur episcopis dispensare. Item Barbosa, part. II. *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 33, et seqq. et lib. I. *Juris eccles. univ.*, cap. XI, a n. 134 usque ad n. 200, ubi per extensum refert específicos illos casus, in quibus ex dispositione sacrorum canonum, sive circa irregularitates, sive circa inhabilitatem ad beneficia ecclesiastica, sive circa impedimenta matrimonii episcopus dispensare potest. Sufficiat huc adducere novissimam, et satis amplam concessionem concilii Tridentini, sess. 24. cap. VI. *de Reform.* sic statuentis: « Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus, et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare. » Circa quod decretum fusissime discurrit Barbosa, cit. part. II, allegat. 39, per totum.

478. *Dispensatio in lege superioris invalida est, si fiat absque justa causa.*—Quæritur IV. Utrum valida sit dispensatio, si concedatur absque justa causa? Resp. I. Dispensatio in lege superioris invalida est, si fiat absque justa causa: secus est, quando fit in lege propria, vel sui antecessoris, aut inferioris; tunc enim dispensatio valida est, sed non licita. Ita Abbas, c. *At si clerici*. §. *De adulteris*, n. 10, *de Judiciis*; Barbosa, loc. cit. allegat. 34, n. 1. et 2, citans alios, estque communis, ac dixi egometipse in *Theologia morali*, tract. II dist. 4, n. 15, et seqq. Ratio primæ partis est, quia inferior non potest dispensare in lege superioris, nisi quatenus ipsi a superiore concessa fuit facultas dispensandi: atqui hanc non censetur superior concedere, nisi in casu justæ causæ; alioquin enim illa facultas cederet in præjudicium boni communis, simulque adversaretur fini legis.

479. *Secus, si fiat in lege propria, vel antecessoris.*—Altera pars probatur ex eo, quia obligatio legis pendet a voluntate legislatoris; ergo si vult aliquem ab ejus obligatione eximere sive cum ipso dispensare, etiam sine causa valebit dispensatio. « Nam generi per speciem derogatur, » juxta regulam 34. juris in 6, cum similibus. Et cum legislator pro libitu possit legem omnino tollere, cur non etiam aliquem ab ejus obligatione eximere, licet alia causa non subsit?

480. *Quamvis hæc sit illicita, quando fit sine causa.*—Quia vero talis dispensatio non so-

let carere periculo scandali; simulque dispensans sine omni causa, imprudenter utitur sua potestate, ac non nisi temere eximit partem ab ordine totius, contra illud jure naturali notum: « Turpis est omnis pars suo universo non congruens. » c. *Quæ contra*. dist. 8, juncto c. *Cum omnes, de Constitut.* hinc ejusmodi dispensatio redditur illicita. Quamvis, si absit scandalum, neque sequatur notabile damnum aliorum, hæc culpa sit solummodo venialis. Navarrus, prælud. 9 *Manual.* n. 14; Sanchez, lib. VIII, *de Matrim.* disp. 18, n. 7; Barbosa, cit. allegat. 34, n. 4. et alii.

481. *Papa scienter assumendo inhabilem ad officium vel dignitatem, ipso facto censetur cum eo dispensare.*—Quæritur V. Utrum, si Papa, vel episcopus scienter assumat inhabilem ad officium vel dignitatem, censetur hoc ipso cum eo dispensare? Resp. I. Papa scienter assumens aliquem ad id, ad quod novit ipsum jure humano esse inhabilem, ipso facto, et absque alia dispensationis expressione, censetur dispensando eum reddere habilem: non item episcopus, nisi vel cum causæ cognitione procedat, vel illa inhabilitas accidat solum ex vi propriæ constitutionis diocesanæ. Ita Glossa, in c. *Statutum*. §. *Litterarum de Rescript.*, in 6; Navarrus, cap. XXVII. *Manual.* n. 74. et amplius in c. *Si quando de Rescript.* except. 10, n. 3; Abbas Panormit. in c. *Præterea*, n. 11. et ibi Innocentius, ac Hostiens., *de Testibus cogend.*; Sylvester, §. *Dispensatio*, n. ult. et alii. Concordat Bartolus in l. *Barbarius*. n. 12 et Jason, ibid. num. 10, ff. *de Offic. prætor.* ubi ex textu illius legis, « Sed si scivisset servum esse, liberum effecisset, » infert, quod princeps scienter inhabili dignitatem conferens, intelligatur cum eo dispensare, ipsumque habitare, text. notab. l. *Quidam consulebant*, ff. *de Re judicat.* ubi valere dicitur sententia minoris, si ex certa scientia imperator eum judicem dederit, hac addita ratione: « Princeps enim ei, cui magistratum dedit, omnia agere decrevit: » sicque ipso facto dispensavit, eumque ad talia agenda habilitavit. Accedit ratio, quia princeps delinqueret assumendo aliquem inhabilem ad officium, vel dignitatem, ergo, quando is novit impedimentum, in quo dispensare potest, et nihilominus illum assumit, eo ipso dispensare intelligitur: cum delictum, præsertim in principe, non præsumatur, c. *Nemo, de Reg. juris* in 6. et pa-

ram referat, an verbis voluntatem suam quis declaret, vel rebus ipsis, l. *De quibus*. ff. *de Legibus*. Quinimo plus sit factis demonstrare, quam verbis dicere, c. *Dilecti*. 52. juncta Glossa: *ŷ. Facto provocare, de Appellat.* cum similibus.

482. *Secus, si Pontifex ignoret defectum, nec aliud exprimat.* — Additur notanter primo, « Papa scienter assumens, » etc. Nam si Pontifex ignoret defectum, certum est, quod in ipso dispensare non intendat, nisi id expresserit, puta addendo clausulam illam, « Supplentes omnem defectum, » vel dispensando ad cautelam. Navarrus cit. except. 40, n. 3, post Innocentium in c. *Sciscitatus*. *de Rescript.* et alios. Secus, si Papa scienter assumat inhabilem ad officium, etc. Neque tunc obstat regula 54 Cancellariæ, quæ inscribitur, *Super dispensationibus*, et in qua Pontifex vult, « quod per quæcumque signaturam in quavis gratia, nullatenus dispensatio veniat, nisi specialiter exprimat, vel dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel alias nihil conferat, aut operetur, » prout sonant verba ejusdem. Non obstat, inquam, dicta regula: quia in casu, ubi Papa scienter assumit inhabilem ad officium vel dignitatem, talis gratia veluti inhabili data nihil conferret, aut operaretur, nisi simul Pontifex ad tollendam inhabilitatem tacite dispensaret; ac proinde subintrat postrema limitatio, eidem regulæ jam inserta. Alioquin vero gratis conceditur, quod non censeatur dispensatum a Papa, nisi specialiter exprimat dispensatio, ut notat Gonzalez ad reg. 8 Cancell. gloss. 15, num. 29; Parisius *de Resignat.* lib. IV, quæst. 3, n. 66; Laurentus de Franchis, in *Controversiis inter episc. et regul.* n. 201.

483. *An idem dicendum de episcopo, scienter promovente inhabilem? Quomodo verum sit, quod Papa non censeatur dispensare, nisi hoc specialiter exprimat?* — Additur secundo « Non item episcopus nisi, » etc. Quamvis enim etiam episcopus in casibus sibi concessis, ac subsistente rationabili causa dispensandi, censeatur ipso facto dispensare cum inhabili, v. g. ad ordines suscipiendos, quando ipsum scienter ordinat, ne alioquin delinquere convincatur promovendo inhabilem; ut docet Abbas, cit. cap. *Præterea*, n. 11. *de Testibus cogend.*, et Sylvester, *ŷ. Irregularis*. q. 78, et Barbosa part. II. *de Offic. et potest. episc.*, allegat 48, n. 17. cum aliis.

Nihilominus est differentia inter Papam et episcopum: quia Papæ dispensatio est valida, etiamsi fiat absque causa, ac proinde Papa præbens aliquid ei, ad quod ipsum novit jure humano esse inhabilem, semper cum ipso dispensare intelligitur. Secus est in episcopo, utpote cujus dispensatio circa legem superioris facta sine causa rationabili, non subsistit: ac proinde, ne temere dispensando delinquat, ipsamque dispensationem periculo nullitatis exponat, non præsumitur episcopus velle dispensare, nisi procedat cum causæ cognitione, præcognoveritque hujus justitiam, et rationabilitatem: vel nisi circa propriam dumtaxat legem suam casus emergat; quia hic valet dispensatio ejus, etiam sine causa, ac proinde scienter promovendo inhabilem, ipso facto dispensasse præsumitur, ne derelinquere convincatur scienter promovendo inhabilem.

## § XIX.

## DE REVOCATIONE LEGUM, SEU CONSTITUTIONUM.

484. *Abrogatio legis, derogatio legis.* — Quæritur I. Quid sit abrogatio, derogatio, et irritatio legis, et quomodo differant? Resp. Differre in hoc: quia *Abrogatio* legis significat totalem cassationem, seu sublationem legis; sive dein totaliter cassetur, seu tollatur per ipsummet legislatorem, aut ejus successorem; sive per contrariam consuetudinem legitime præscriptam, de qua alibi. *Derogatio* legis econtra est, cum lex ex parte solum tollitur, quatenus legislator unum vel alterum legis articulum mutat, aut a generali constitutione certos casus speciales excipit. Patet hoc ex l. *Derogatur*. *de Verb. signif.* ibi: « Derogatur legi cum pars detrahatur: abrogatur legi, cum prorsus tollitur. »

485. *Irritatio legis, quid, et quomodo differant?* — Tandem *Irritatio* legis fit quando lex ab inferiori magistratu instituta, auctoritate superioris rescinditur, seu irrita et nullius valoris efficitur: ut si leges ab episcopo latæ, auctoritate summi Pontificis annullentur, seu rescendantur, ita ut irritæ et inanes, ac nullius firmitatis esse incipiant. Et eodem modo per ipsamet leges non raro diversi actus, vel contractus, si fiant contra juris dispositionem, vel non servata forma in eo præscripta, irritari solent: ut c. *Quia propter*, *de Election.*, ibi: « Aliter electio facta non valeat, » etc. et c. *Decet domum*, § fin. *de Immunit. Eccles.*,

in 6 et l. *Non dubium*. C. *de Legib.* et l. 1, ff. *de Feriis*, et alibi sæpe.

486. *Leges semel late possunt denuo revocari.* — Quæritur II. An leges semel juste late, possint denuo revocari? Resp. Leges semel late justis de causis denuo revocari, et abrogari, atque immutari possunt, tum per ipsum legislatorem, tum per ejus successorem. Ita communis doctorum; et præter jura mox alleganda, constat ex praxi. Sic enim multæ leges antiquiores non solum in jure civili, sed etiam canonico reperiuntur, quæ successu temporis pro rerum ac circumstantiarum exigentia, per alias posteriores revocatæ fuerunt: ut patet ex c. *Non debet*. *de Consang. et affinit.* et cap. II et III. *de Censibus*, in 6, et Clem. un. *de Immunit. Eccles.* et alibi sæpe. Tacentur non paucæ constitutiones tum pontificiæ, tum imperiales, quæ novis emergentibus circumstantiis rationabiliter per successores sunt revocatæ, et cassatæ, vel saltem quoad certos articulos immutatæ.

487. *Etiam si habeant clausulam: Hac in perpetuum valitura constitutione.* — Et quidem præsens conclusio locum habet, etiamsi præcedens constitutio habeat insertam clausulam illam: « Hac immutabili, et in perpetuum valitura constitutione. » Licet enim hujusmodi emphatica locutio de sua vera, et propria significatione denotet perseverantiam illius constitutionis sine aliqua temporis præfinitione, l. *Pure* § fin. ff. *de Doli mali except.* et l. 3. ff. *de Exceptionib.*, velitque, quod nulli subditorum (ad hos enim loquitur lex) liceat imposterum immutare, aut secus agere: nihilominus potest successor ipsam tollere, seu abrogare, aut eidem quoad certos articulos derogare. Quia, ut c. *Innotuit*. *de Elect.*, generaliter notatur, « Prædecessor successoribus suis nullum potuit hac in parte præjudicium generare, pari post eum, imo eadem auctoritate functuris; cum non habeat imperium par in parem. »

488. *Non tatem leges sunt revocandæ absque justa causa. Omnès mutationes sunt periculosæ. Novitates plerumque pariunt discordias.* Additur notanter. 486, *justis de causis* Quia lex debet esse necessaria, seu non tradi, nisi ex instanti necessitate, can. *Erit autem lex*, dist. 4. juncto can. *Regulæ*. dist. 29. Atque, ut l. 4. ff. *de Legib.* notatur, « ex iis, quæ forte uno vel altero casu accidere possunt, jura non constituuntur. » Præsertim vero, quod leges non nisi gravi de causa sint

abrogandæ, aut immutandæ, recte monet imperator, l. 3. ff. *de Constitut. princip.*; ibi: « In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est. » Siquidem, « omnes mutationes sunt periculosæ. » ut habet aphorismus Hippocratis, quem refert Navarrus in tract. *De Redditib. ecclesiast.*, monit. 12, numer. 1, quia, ut attestatur etiam Pontifex in extravag. *Inter cunctos* § *Sane*, *de Privileg.* « Plerumque pariunt novitates discordiam, præsertim, dum ab eo, quod diu æquum visum est, per novam constitutionem receditur, nec quare recedatur, utilitas evidens, vel alia causa subest. »

489. *Justæ causæ revocandi, et mutandi, leges quæ?* — Porro causæ justæ mutandi leges, eas vel in totum abrogando, vel ipsis ex parte derogando, præcipue sunt: si « Magistra rerum efficax experientia (ut appellatur c. *Quam sit*. *de Election.* in 6.) manifestat legem aliquam, quæ a principio speratur futura utilis, bono publico non expedire: » aut si lex a principio fuerat utilis, postmodum mutatis rerum circumstantiis desinat esse utilis, et conveniens communitati. Leges enim juxta diversitates locorum, et temporum, et causarum, oportet esse varias, et conditioni hominum, atque provinciarum, quibus traduntur, accommodatas, can. *Regulæ*. et can. *Necesse est*, dist. 29. Et hinc pro talium circumstantiarum variatione diversæ nonnunquam eduntur leges, seu constitutiones; prioresque pro loco, tempore, et personarum conditione temperantur, suppleuntur, aut etiam corriguntur per posteriores.

490. *Hæ exemplificantur.* — Sic fit in c. *Non debet*; *de Consang. et affinit.* allegata illa ratione: « Non debet reprehensibile judicari, si secundam varietatem temporum statuta quandoque mutantur humana, præsertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex his, quæ in Veteri Testamento statuerat nonnulla mutavit in Novo. » Item in c. *Alma mater*; *de Sent. excomm.*, in 6. « Alma mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat et consulte, quæ suadente subjectorum utilitate, postmodum consultius et rationabilius revocat, in meliusque commutat; » ubi Glossa marginalis post Baldum in l. 1. C. *de Caducit. tollend.* inquit; « quod sicut medicus secundum tempora alterat medicinas, ita legislator leges. » Hinc illud vulgatum inter juris-